

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3532

Auteur(s) : Alain, Avranches (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Louis IX, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le doyen A[lain] et le chapitre d'Avranches font savoir que Louis [IX], roi de France, a conédé à l'église d'Avranches la dîme de la paroisse de Saint-Martin-des-Champs à posséder après la mort ou la cession du prêtre Richard de La Lande à qui le roi l'avait donnée à titre viager. Le chapitre d'Avranches destine cette dîme à la création d'une chapelle spéciale dans l'église cathédrale et à la célébration des obits des rois Philippe [II], de Louis [VIII], de la reine Blanche ainsi que celui de Louis [IX] après son décès.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 554, p. 101-102.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis A. decanus Abricensis, Richardi, Dei gratia, Abricensis episcopi vicarius et idem decanus totumque capitulum Abricense, salutem in Domino. Noveritis quod cum magister Richardus de Landa, presbiter, ex donatione illustrissimi regis Francorum Ludovici, teneret et ad vitam suam dumtaxat possideret decimam quandam, in parrochia Beati Martini de Campis juxta Abrincas sitam, nulli intitulatam ecclesie, aut specialiter assignatam, idem dominus rex, ob divini cultus augmentum et anime sue salutem, ac remedium animarum inclite recordationis regis Ludovici, genitoris sui, regine Blanche, genitricis sue, regis Philipi avi sui, et aliorum progenitorum ac predecessorum suorum, in puram ac perpetuam elemosinam, decimam ipsam ecclesie nostre Abricensi tenendam et possidendam, libere pacifice et quitte, concessit, post decessum ipsius Richardi presbiteri vel cessionem ejusdem, cum ea integritate, qua idem presbiter decimam ipsam presentialiter possidet et possedit huc usque. Nos autem super valore seu estimatione ejusdem decime de ipsius domini regis assensu taliter duximus ordinandum, quod ex nunc in ecclesia Abricensi creabitur una capellania specialis, in qua constituetur sacerdos unus, qui deserviet in eadem ecclesia, et etiam residenter, ac in septimana qualibet unam missam de Sancto Spiritu et aliam de Beata Virgine pro ipso domino rege Ludovico celebrare tenebitur, quandiu vixerit, et, post decessum ejus, missam que pro defunctis fidelibus celebratur, per duos dies in qualibet septimana. Nichilominus etiam in missis singulis, quas celebrabit, orationem pro ipso domino rege tenebitur dicere specialem. Capellanus autem qui ad hoc deputabitur singulis annis duodecim libras turonensium de decima predicta percipiet post decessum presbiteri memorati. Residuum vero dicte decime, scilicet octo libre vel circa distribuentur hoc modo, videlicet : in anniversario predicti regis Philipi, avi ipsius domini regis quadraginta solidi turonensium, et in anniversario regis Ludovici, genitoris ejusdem, quadraginta solidi turonensium, et in anniversario regine Blanche, genitricis ipsius, similiter quadraginta solidi, et in domini regis Ludovici anniversario, post decessum ejusdem, quadraginta solidi. Que quidem anniversaria in perpetuum annuatim fient in ecclesia Abrincensi. Predictam vero

capellaniam, quotiens eam vacare contigerit, conferet Abrincense capitulum persone idonee et ad sacerdotium promote. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Datum apud Moretonium anno Domini M° CC° quinquagesimo sexto, in octavis resurrectionis dominice.